

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XV

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Tu vero nullos, ne ex trium quidem uxorum interitu, quas ad sepulturam dedisti, luctus percepisti. Ferunt, teste *Plinio l. 9. c. 23.* aceti gustu in rabiem agi. Mirum vero quod tradit *Alianus l. 1. c. 37.* Si plagam unam acceperint, torpescentes perstare: sin plures inferas, funditus ira accendi.

C A P U T X V. DE PERCA & PHOCA.

Percas vesiculam quandam rubram ex ore pendentem per idem emittere, piscatores in Lemano lacu, ut narrat *Gesnerus*, observarunt; quæ vel invitata supernitate cogit. Præ iracundia autem id fieri existimant, quod in retia inciderint. Hoc enim tum maxime pati, cum trahunt eadem: sed mirum est hyeme tantum id ipsis accidere. Fætus adeo sibi cohærent continuo, ut eos in lacu piscatores glomerent. Iecur in omnibus grandine affectum, *Gregorius Mangoldus*, citante *Gesnero*, scribit. *Phoca* inter dormiendum tam alte stertunt, ut mugitum edere videantur. Pituitosum humorem qui in aspera arteria sit, inspirando & expirando agitatum, in causa esse scribit *Rondeletius*. Maximus illis cum mari est consensus. Excoriatis enim pilis in pelle ubicunque fuerint, ceu naturali quodam instinctu, prout se mare habet, ita se getere dicunt. Hinc si mare turbatum in fluctus surtulerit, & illi esecti exsurgunt: sin mare pacificum fuerit, plane stertuntur. Quod cum non crederetur *Plinio*, periculo in Indico mari facto, circa Hispaniolam Insulam non amplius fabulosum haberi *Cardanus* asserit. Eorundem corio mutationes significari, auctor est *Rondeletius*. Austriinis enim ventis insurgentibus pili inhorrescunt: in boreali constitutione ita desident, ut nullos plane affirmes. Institutum à circumforaneo quodam unum vitulum vidit *Aldrovandus*, qui ad nomen cuiusvis principis Christiani, gaudio correptus, obstrepere nonnulla visus est; ad Turcæ vel Hæretici tacuit.